IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 72r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



merendi et ideo laborabit in eternum .i. patietur eternaliter
et viuet in sempiternum vt semper senciat penam, viuet ut
semper intereat ut sit ei mors sine morte et defectus sine
defectu

Sed homo carnalis et mundanus Non intelligit
imminere sibi interitum iehenne nam videns iustos et
peccatores et sapientes et stultos eque mori reputat quod non
sit alia vita in qua premientur boni et in qua puniantur premientur
mali sed insipiens est qui non credit futuram vitam et
stultus qui licet credat tamen non cauet sed in transitoriis
rebus spem suam ponit

Vno et eodem modo peribunt Et relinquent diuicias
propter quas multa mala commiserunt, alienis; et si etiam
filiis relinquant, alienis tamen relinquunt quia nichil
eis prodesse possunt

Et licet Sepulchra que construxerunt magnanimitate ad
memoriam suam estimentur secundum opinionem suam domus illorum
in eternum tum quia aliam vitam futuram non credunt, secundum
~~secundum~~ tamen veritatem, anime eorum in inferno
manent

Hec est fructus diuiciarum quem earum possessores qui aliam
vitam non esse credunt afferre possunt Tabernacula
habitacula castra pulchra palacia domus manent
post eos in multas generaciones ut sic in illis maneat
eorum fama vocauerunt .i. quesierunt vocari nomina sua
et famam eorum celebrem haberi per multos annos
in terris

Causa huius erroris inde prouenit quod Homo cum in
honore esset quia ad ymaginem dei factus est et inde aptus
est ad possidendum celestia non intellexit vel sic egit ac
si non intelligeret et ideo compatus est iumentis in eligendo
vitam voluptuosam que est vita pecudum et iumentorum
et similis factus est illis quia subtracto honore
ymaginis dei non differt a bruto nam tolli homini